



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Aqua Trajana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

DEORUM ROTÆ. CAP. XXII.

Sciendum enim rotas plurifariam à radiorum numero distincta esse. Nam quæ diis attribuntur, octo radiis insignes figurantur: propterea quod rerum cœlestium motus in octavam usque sphaeram, quantum humani oculi vis porrigi potest, observantur.

HUMANÆ ROTÆ. CAP. XXIII.

Homini vero rotæ sex tantum radiis compingi debent: tot enim sunt humanæ naturæ motus, in anticam, in posticam ingredi, vel retrocedere, in dexteram aut in lævam ferri, sursum aut deorsum ascendere, vel descendere.

INFERORUM ROTÆ. CAP. XXIV.

Quæ vero Ixionis rota fertur, quatuor tantum radiis compacta fingitur, unde Pindarus dixerit, *ἡ τροχὸν ἰξίων ὁν ὀλοβόγῃ*. In ea vero ita distinctus fingitur Ixion, ut manus singulæ singulis radiis affixæ essent, totidemque aliis pedes singuli. Quæ de re apud Pindarum legas Pythiis, Ode ad Hieronem altera. Nervæ Trajani numus est, à cuius una parte ipse pro suggestu populum alloquitur, rogatus vero populus sublatis in cœlum dextris applaudit, inde in extremo margine metra est iuxta cuius basim Nympha jacet humi fusa, sinistro brachio supra rotam expotrecto. Sunt qui ex hoc Circum inscripturatum à Trajano interpretentur: quia rota circumagi videntur.

Verba Trajani numi.

AQUA TRAJANA. CAP. XXV.

Sunt qui, ut mihi videtur, longe rationabilibus aquam Trajanam intelligant. Nympha enim huius morem, humi præsertim fusa, dubio procul indicat: innixa vero rotæ, aquæ cursum non incongrue significare possit. Alibi vidi Nympham ipsam in ejusdem Trajani numis cum rota superne sita, & inscriptione, VIA TRAJANA, quorum utrumque artificiose, maximeque proprie figuratum. Nam in via rota superne volvitur, in aqua cursus ab imo est. Alius item numus ejusdem Trajani, in quo signum idem pene humi prosternitur, levæ ramum frondibus vestitum, dextera currulem rotam iuxta genu tenens, sub basi cuius literæ sunt, VIA TRAJANA. S. C. circum circa vero, S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. In alio, in quo eadem litera circumductæ, aquæ ductus habetur in semicirculum fornicatus, idem que simulachrum humi fufum cum arundine infra, & literis in hunc modum dispositis.



VIÆ NOSTRÆ PROGRESSUS. CAP. XXVI.

Sedenim viæ etiam sua habet significata in Divinis literis: quippe quæ vitam hanc quam vivimus indicat, unde omnes à die nativitatæ ad extremum usque viatores, hospites, & peregrini dicimur: utpote qui solum hoc extra patriam incolimus, ubi nulla consistendi firmitas, perpenna vero semper agitatio animi, ubi demum rerum, aut sententiæ confidendum sit examinantis. Distingunt insuper Theologi viam à semita, per viam mandata ea peragenda intelligentes, quæ universo mortalium generi data sunt: per semitam vero, quæ huic vel illi personæ, ordini, collegio, nationi præcipiuntur.

Via & semita distinguuntur.

THEOLOGIA. CAP. XXVII.

Sunt qui per rotam currulem in Divinis literis Theologicæ doctrinæ hieroglyphicum intelligant. D propterea quod rota ea terram ima tantum attingat superficie, reliquum in sublime tollatur, & aurigam animum semper terra procul surrigat. Idem præterea est officium rotæ, quod & Theologi, ut scilicet à terrenis imisque rebus ad sublimium cœlestiumque naturarum speculationem attollatur: inde mox à Divinis ad humana descendat, quoque inter se vinculo colligentur ostendat, qui quidem est rotæ motus. Sed quoniam proprio commentario multa, de universo curru diximus et Divinis literis, de quæ mysticis ejus rotis, nunc cum terrestri iter eamus, Trajana procedemus via.

Rota idem ac Theologi officium.

IMPERITORUM PRÆCIPITIUM. CAP. XXVIII.

Sed cur id dissimulem, quod in divinis literis imperitorum præcipitiam per rotam significari comperimus: & in hanc sententiam à Psalmographo dictum citamus: *Dei meus, pone illos ut rotæ*.

Rota